

rent; eos videlicet, qui rem aliquam in-
suetam per visum spectarint, mortem im-
minentem manere. Agar, objecto sibi per
visum Angelo, ferale mortis suæ omen se
recepisse putabat; sed ab Angelo confirma-
ta, cum tandem animos resumpisset, pro-
digii loco habuit, vidisse se Deum, nil
incommodi expertam (f). Jacob gratias
Deo agit. et eo nomine, quod vidisset
Deum facie ad faciem: Et salva, inquit,
facta est anima mea (g). Deus ipse ita ad
Moysen locutus, profitetur: Non videbit
me homo, Et vivet (h). Hebræi Moysen
rogabant, ut ipse loquendi ad populum
munus assumeret; si forte enim Deus ipse
per se loqueretur, certam sibi mortem ti-
mebant (i). Manue pater Samsonis, ejus-
que conjux, quod Angelum vidissent, fe-
rale sibi illud ominabantur: Morte mori-
mur, quia vidimus Dominum (k).
Qui verò medicinam inter Hebræos,
quemadmodum & de Græcis scitum est,
profiterentur, viros fuisse vulgares,
verbis quibusdam Scripturæ insinuatim vi-
detur. Ejus enim artis præcepta neque à
Principe aliena esse arbitrabantur, cum
Ic. 6. legamus: Apprehendet vir fratrem
suum, domesticum patris sui; vestimentum
tibi est, Princeps esto nos; ruina autem
hæc sub manu tua: [nempe membra nostra
è lapsu afflictæ medicaminibus fove] Re-
spondebit in die illa dicens: Non sum Me-
dicus, & in domo mea non est panis, ne-
que vestimentum; nolite constituere me Prin-
cipem populi. Et Osee 5. 13. vitio Israeli-
tis vertit, quod spem illi omnem in Af-
syrîis collocassent: Et vidit Ephraim lan-
guorem suum, & Juda vinculum suum; &
abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem
altorem; & ipse non poterit sanare vos,
nec poterit solvere à vobis vinculum. Et
Zach. 11. 16. Ego suscitabo Pastorem in ter-
ra, qui derelicta non visitabit, dispersum
non quæret, & contritum non sanabit.
Jerem. 6. 14. A Propheta usque ad Sa-
cerdotem cuncti faciunt dolum; & cura-
bunt contritionem filia populi mei cum
ignominia, dicentes: Pax pax (nempe
vulnus obducitur) & non erat pax, (&
recrudescerebat).
Licet autem olim, & nostrâ etiam æta-
te, peritissimi medicinæ professores Judo-
rum aliqui maxime in Oriente habeantur;
in Rabbînorum tamen Libris minùs æqua
de Medicis leguntur; cum Medicos ad il-
los amandent, quos exclusos pronunciant
à Regno, apprecantes illud: Medicorum
optimus in Inferno demergatur; splendide
enim vivit, nec morbum timet; neque cor
suum coram Domino conterit, pauperemque
opem suam illi denegans, interficit. Si quis
verò de peritia Medicorum Judæorum con-
jecturam capere è peritia Rabbînorum in
rebus anatomicis voluerit, nil planè de il-
lis magnificentem opinabitur. Receptum est
enim inter eos, in spina dorsi os quoddam,
nomine lux, insertum esse, quod veluti ra-
dicem & centrum omnium partium corpo-

ris habent; inde cor, jecur, cerebrum
verenda, & quid non? Quod autem ma-
ximè ejus ossis virtutem commendat, il-
lud est, nempe integram vel in medio
igne nunquam non manere, ut germen
sit resurrectionis, è quo iterum resolutum
corpus, veluti è semine planta, pullulet.
Enumerant autem in corpore hominis 148.
ossa, & 365. venas, sive ligamenta.
An veteres Hebræi recentioribus præ-
starent in Medicinæ peritia, ambigimus;
illud tantummodo asserendum est nobis,
autumasse illos, ut Veteres ferè omnes,
corporis humani foetum in utero Matris
coagulatione quadam ceu lactis concre-
cere (l); cui deinde Dominum pellem, ner-
vos & tendones inducere. Addebant ossa,
cum salva sunt omnia, succo quodam ma-
descere; arefcere verò continuò ac corpus
vitiatur (m); sicut etiam medullâ ossium
affectâ, crudelibus morbis totum corpus tor-
queri (n); vitiosum illum calorem, quem
inflammationem vocamus, ossibus adhaere-
scere (o); oleum, quo extima pellis fo-
vetur, ad usque ossa penetrare (p). Uno
verbo valetudinem omnem, morbumque
ex ossium habitudine rectâ pravâque dedu-
cant. Quin etiam umbilici œconomiam
plurimum ad valetudinem conferre, Salo-
mon insinuare videtur (q); sicut & illum
unctione fotum plurimum contulisse re-
stinguendis depascentibus viscera ardori-
bus (r). Vitam constituebant in sangui-
ne (s). De venis & sanguinis emissionem
ne verbum quidem in Scriptura.
Familiarissimum simulque celebratissi-
mum Hebræorum remedium erat resina
montium Galaad (t), quemadmodum su-
pra etiam insinuavimus. Nec sanè Medici
diffidentur, varia resinæ genera confractis
ossibus, stupori membrorum & plagis me-
deri. Non deerant etiam apud illos her-
bæ & plantæ salubres, cujus generis nos
medicinales, illi arbores seu ligna vite
(u), appellabant; sicut vicissim arbor mor-
tis apud illos erat, quæ nobis est planta vi-
rulenta & perniciofa. Author Ecclésiastici
(x), ligni virtutes prosequutus scribit,
Unguentarium variarum rerum admixtione
pharmacum quoddam salutare componere,
cujus odor per totam terræ faciem diffu-
sus, undique pacem & lætitiâ spiraret;
continuò tamen monitum subjungit salu-
tare, ut scilicet primò omnium ægrotus
valetudinem à Deo deprecari studeat, il-
lud etiam committat, ut poenitudine
eludere crimina, oblationes in Templo
feri ex simila, opimisque pecudibus pro-
curet; veluti si è Mundo egressus, jam co-
ram Deo adficeret. Nec tamen ista pro-
hibent, addit, quin à Medicis opem im-
ploret; à Deo enim Medicus creatus
est, suaque pro valetudine infirmi preces
ad Deum interponet. Tandem maximum
aliquod Divinæ ultionis documentum in-
impios exhiberi precatus, optat ut impius
in manus Medici incidat.

DIS.

DISSERTATIO
DE RE CIBARIA HEBRÆORUM.

Veterum Hebræorum mores
ritusque adeo à nostris ab-
horrent, ut sine ingenti
collato in eam rem studio
penitus explorata hæc ha-
beri non possint. Si quis au-
tem persunderet ea tantum noscere conten-
tus, cætera duxerit negligenda, ille pla-
nè nunquam intimum Scripturæ, justè fer-
mè allegoriâ ed spectantis, sensum as-
sequetur. Inter hæc autem, quæ ad He-
bræorum mores spectant, res eorum ciba-
ria tantò est præ cæteris Eruditorum occupa-
tione dignior, quantò frequentius in Scri-
ptura recurrit, majorique est indagine
tum verborum ambiguitate cum ex dif-
formitate morum scrutanda. Variante enim
fortunâ ejus rei consuetudo apud Judæos
variavit. Abraham è Chaldaea oriundus,
regionis morem & ipse tenuit, & ad filios
transmisit. Eius posteri cum Chananæis
& Phœnicibus tum sedes cum in multis
mores habuerint communes. In Ægypto
plura ex incolis adoptarunt. Dein Moy-
ses invecio ciborum delectu, alii que in Le-
ge sancitis, novam induxit œconomiam;
non usque adeò tamen stabilem, quin pluri-
mum pro locorum varietate variavit. Tran-
slati enim in Babyloniâ, Assyriam, si-
cut & Ægyptum aliasque Orbis regiones
Judæi, mores etiam ad loca conformare
sategerunt; quanquam certis quibusdam
& uniformibus legibus inhærentes, semper
à reliquis earum regionum incolis distin-
guentur.
Illud igitur in hac Dissertatione consi-
lium habuimus, ut varias, pro varietate
temporis, Judæorum in re cibaria consue-
tudines prosequamur; an scilicet assiden-
tes, sive accumbentes cibum caperent,
quem locum in mensa haberent honora-
tissimum, quas ante cibum servarent lu-
strationes; quas & quantas apponerent da-
pes, comedendi horas, vasa in eum usum
&c. Veteribus novas consuetudines adji-
ciemus, quò ex utrarumque comparatio-
ne difformitas sive uniformitas intelli-
gatur.
Veterum Hebræorum convivia, quorum
est in Scriptura mentio, neque gentis po-
litiam, neque in re cibaria gustum satis
commendant. Abraham tres Angelos,
quos sub viri specie hospites exceperat,
lauto convivio refecturus, subinvercium
panem, optimiorem vitulum festinato opere
parans, unâ cum lacte, & butyro men-
Disert. Calmet. Tom. I.

fas instruxit [a]. Porro convivium illud
quantò erat dapium numero pauperius,
tantò fuit earumdem dapium opimitate
solemne; namque tria farinæ lata, quæ
supra 28. pintas singula implebant, inte-
gramque vitulum tribus convivis (Abra-
ham enim stans hospitibus ministrabat)
apposuit. Joseph fratres suos in Ægypto
convivas adhibens (b), quintuplo majori
quam cæteros fratres epulo Benjaminum
donavit. Sauli asinas patris sui quæritan-
ti Samuel quartam vituli partem apposuit
[c]. Is honor hospitibus ejus ætatis. Ap-
parent ejus moris vestigia apud Homerum,
ubi pro viri dignitate victimæ ampliores
minoresve in conviviis adhibebantur. Eu-
menes convivam habens Ulysses, quem
hospitio receperat, quanquam alioqui vi-
rum minimè nosset, pingue convivium in-
struxit; integrum apponens dorsum in-
gentis quinquennalis porci è grege selecti
(d). Nec in cibo tantum servata quanti-
tas, sed etiam in potu, ut conviva digni-
tati responderet. Amplissimi enim viri
plenum semper scyphum coram se habebant;
cùm interim cæteris identidem tantum mi-
nistraretur (e).
Dapum inter convivas portiones assigna-
re, Architrilini partes erant. Quin & ob-
tinuisse olim creditur, ut singuli seorsum
prandentes, positam haberent ante se men-
sam, cui epulæ apponerentur. Eius rei
apparent vestigia in convivio, quo Joseph
fratres suos in Ægypto excepit (f); seorsum
enim singuli fratres assidebant, sicut
& Ægyptii, & ipse Joseph seorsum, po-
sitas ante se mensas habebant. Supersti-
tione quadam induciti Ægyptii renuebant
mensam habere communem cum Joseph,
eiusque fratribus; non enim cibos capie-
bant Ægyptii cum Hebræis. Josephus verò
ut solus pranderet in causa habuit, quòd
fortè amplissimam illam dignitatem gere-
ret. Singuli autem fratres ab Ægyptiis
& à Josepho segregati, servato etatis ordi-
ne sedebant, assignato cuique ab ipso Jo-
sepho loco, quasi ipse singulorum ætatem
non sine ingenti eorumdem virorum ad-
miratione nosset. Cum omnes assedissent,
dapes omnes coram Josepho appositæ sunt,
à quo in singulos convivas distributæ. El-
cana Pater Samuelis epularum partem dua-
bus uxoribus assignavit (g). Apud Ho-
merum singulis convivis sua erat mensa,
& Architrilinus portiones ministrabat.
Mensa Regum Perfarum omnibus illis epu-
lis

Convivia ve-
terum He-
bræorum.

a Gen. 18. 6. 7.

b Gen. 43. 34.

c 1. Reg. 9. 24.

d Homer. Odyss.
14.
e Hom. Iliad.
4. Vide Can-
tic. 7. 2.

f Gen. 43. 34.

g 1. Reg. 1.

Q q q

lis instruebatur, quæ deinde per Aulicos dividebantur (b); quod etiam hodie in quibusdam Orientis regionibus obtinet (i). Idem servatum in Aula Salomonis, ex ingenti farinæ copia, & carni, quæ in singulos dies suppeditabatur colligimus. David convivium habens Miphoboset, regias dapes sufficiebat. Textus habet ad litteram: *Super mensam Regis vescebatur (k)*. Rogat David Salomonem, ut filios Berzellai eodem honore dignetur [l]. Jezabel mensæ suæ dapibus pascebat 450. Prophetas Baal, sive 400. Prophetas Deæ nemorum, sive Aferah; qui omnes, ait Scriptura, comedunt de mensa (ad litteram in mensa) Jezabel (m).

Sed quænam dapes illæ? Omnium exquisitissimæ hædi videntur, è quibus unum paravit Rebecca, ut Jacob, eo allato, paternam benedictionem subriperet [n]. Paschale convivium agno, sive hædo juxta Moyfis præceptum instruebatur (o). Hædum attulit Samson munus recens ductæ uxori, quam sibi antea habuerat infestior (p). Manue coctum hædum Angelo sibi de futura prole nunciandi apposuit (q). Queritur frater filii prodigi de patre suo, à quo nunquam unicum hædum impetraverat, ut geniale cum amicis epulum inhiueret [r]. Scitum est, tria tantum ex animalium domesticorum genere in cibum permitti, nempe quod ex vacca, ove, & capra nascitur: plura tam è sylvestribus, quam ex domesticis vetabantur, facile etiam ante latam à Deo Legem; quemadmodum intelligimus ex dato Divinitus Noemo præcepto, ut scilicet in Arca. 14. animalia pura, bina verò impurorum paria servaret (s). Legimus 3. Reg. 4. 22. 23. in mensam Salomonis impensas singulis diebus 30. mensuras similæ, sicut & farinæ duplum. Porro mensura reddebat 298. pintas cum media pintæ parte, hemifextario, & amplius aliquanto. Præter hæc, sufficiebantur 10. faginati boves, 20. boves è grege, 100. arietes, præter eos, qui venatione capiebantur, cervos, damas, capreolos, alites. Cum Arca Domini solemnè apparatu deduceretur, singulis Israelitis jussu Davidis distributa assati bovis portio (t). A sanguine non abstinebant tantum, sed cautè etiam observabant, ne quid illius in carnibus cibo definatatis remaneret, qua de re infra. Adeps victimarum sacrificio reservabatur (u), sed exceptis victimis, ejus usus singulis permittitur. Facile credimus delicatissimam, & optimam victimæ portionem Deum sibi reservasse, inter quas primas habere poterat adeps; quare cum alicujus convivii apparatus describendus esset, eo utebantur epitheto: *Convivium pinguium (x)*. Queritur Deus per Prophetas, minus pinguius victimis sibi litari (y). *Qui diligit epulas, ait Proverb. 21. 17. in egestate erit: qui amat vinum, & pinguis, non ditabitur.* Hinc Deus arietis caudam in sacrificiis nunquam sibi non reservavit, quippe que arvinosa esset maxime; reservavit & renes cum adipe illos operiente (z).

Panis singulis plerumque diebus para-

batur; referebat autem placentulas quasdam arentes, tenues, & fractu non difficiles; è placentis verò aliæ subactæ erant oleo, aliæ frixæ oleo, aliæ tantum oleo illitæ, Panis azymus, & subcipericus nec infrequens habebatur nec insuavis. Simila oleo frixa, sive tantum aspersa, à nostro quidem gustu aliena est maxime; Hebræo verò apprime sapida; aded mores mutationem subeunt, & de gustibus nulla præscribitur regula. Panis, quacumque tandem arte confectus, nunquam ab oblationibus Templi Domini excludebatur; ex quo facili conjecturâ intelligimus, quidquid exquisitissimum apud Hebræos erat, totum in pace comprehendendi. Notant farinam secundariam, ciceres, lenticulas, & cætera leguminum genera, quorum maxime usus erat ruri & in itineribus. Davidi fuorem Abfalomi declinanti Berzellai obviam accurrens, attulit farinam, frumentum, frumentum igne tostum, fricos ciceres, fabas, lenticulas, & alia legumina, adjectis insuper melle, butyro, pinguibus vitulis, & ovibus (a). Eadem occasione Siba munus Regi obtulit 200. panes, 100. alligaturas uvæ passæ, sicut & totidem recentis uvæ canistros cum utre vini (b). Ita planè & Abigail eundem Regem Saulem fugitatem prosequuta est 200. panibus, duobus vini utribus, 5. coctis arietibus, 5. mensuris farinæ hordeaceæ, 100. alligaturis uvæ passæ, & 200. massis caricarum (c). Viri illi, quos Saul in itinere offendit, cum ad invisendum Templum Domini pergerent, singuli tres hædos, totidem panes, & vini utrem habebant [d]. Uxor Jeroboami sub ementitis spoliis ad consulendum Ahiam Prophetam pro valetudine filii ægrotantis missa, munus de more regionis attulit 10. panes, placentam, uvas, & vas melle plenum (e). En genis priscorum morum delicias, & conviviorum apparatus.

Omnia simul eorum sapimenta sal, mel, oleum, butyrum. Aromatum in cibis ne vestigium quidem in S. Scriptura. In convivii sponsæ Cant. 5. 1. 2. nihil apparet præter fructus, mel, vinum, lac. Mellis usus ferme in sapimentis continuus, nec rarior est hodie in Palæstinâ, ejus liquoris feracissimâ. Convivium Sapientie, de quo Prov. 9. 2. 5. victimis sive jugulatis pecudibus instruebatur, vino affuso. Tauros & volatilia in eum usum parata legimus in Evangelio Matt. 22. 4. Vini usus olim, & nostrâ etiam ætate in Oriente infrequens erat, quod in torridâ regione vinum frequentius ingurgitaret, sicut & meracum bibere, minus salubre habeatur. Quare nunquam nisi multâ aquâ dilutum gustabant, nisi si quando haustus delibaretur in quibusdam solemnibus statisque conviviiis, prandii scilicet sigillum (f). Admixta vino aromata, sive ejus generis alia potum reddebant delicatissimum (g). Vinum è palmis, vulgare illud apud Hebræos, nomine *sekar* in S. Scriptura designatur (h), ubi non raro mero junctum legitur. Celebrabantur vina Libani & Chelbon; nec minus lau-

a 2. Reg. 17. 28.
b 2. Reg. 16. 1.
c 1. Reg. 25. 18.
d 1. Reg. 10. 3.
e 3. Reg. 14. 1. &c. Vide Gracum hujus loci.
f Vide quæ adnotavimus ad Esth. 5. 6. g Cant. 8. 2. h Levit. 10. 9. Num. 6. 3. Deut. 14. 26. &c.

i Ose. 14. 8. laudabantur vina Sorec (i). Ezech. 28. 18. Elixatæ vel affæ carnes parabantur; quanquam & sapimentis conditas aliquando degustasse, ex historia Rebecca carnes ad gustum Isaaci, sibi experimento cognitum, parantis intelligimus. Manue pater Samsonis hædum elixatum in olla afferens, sacrificium Domino obtulit (k). Filii Summi Sacerdotis Heli, cum plurima in Tabernaculo Domini iniqua, tum illud flagitiosissimum commiserunt, ut scilicet famulorum operâ carnes ex ollis eorum, qui sacrificia obtulerant, rapientes, non coctas fæ dapes, sed crudas accepturos dicebant; quippe quas vellent ad suum gustum parare (l). Agnus sive hædus Paschalis affabatur.

Augebant conviviorum celebritatem musica, tripudia, cantilenæ, ugentorum delicia. Fœmina illa prostituta Prov. 7. 17. lascivientem adolescentulum invitavit ad lectum myrrhâ, aloë, cynamomo delibutum; addit obtulisse se hostias salutare, quod pingui illum convivio recrearet. Mulier criminosa Luc. 7. 37. pretioso unguento Jesu Christi pedes unxit, eosque deinde promissâ comâ absterxit. Idem præstitit cum Jesu Christo officium Maria soror Lazari (m). Amos 6. 5. ebrios Ephraimitas eo nomine reprehendit, quod in conviviiis suis musica instrumenta poscerent ad voluptatem, ne Davidi quidem canendi palmam concessuri. Adversarios suos inter potandum cantilenas in seipsum admiscere, Psalmista Pl. 68. 13. conqueritur.

Prandii hora consueta in meridie. Meridiano convivio Joseph fratres suos excepit (n). Nihil boni sperari jubet Salomon Eccl. 10. 6. de illo Regno, cui adolescentens imperaverit, & cuius Principes exortiente mane comederint. Isai. 5. 11. Va, ait, qui confurgitis mane ad ebrietatem, sectandam, & ad potandum. Tandem S. Petrus Act. 2. 15. impactam ebrietatis calumniam diluit, quod hora diei tertia, nempe juxta nostram supputationem, nona matutina nondum effluxisset. Idem Apostolus è solario domus Simonis Coriarii horâ meridianâ ad prandium in cenaculum inferius descendebat (o). Seniores sive Judices Babyloici, qui vitium inferre Susannæ tentarunt, subeunte meridie in ædes suas ad cibum capiendum se receperunt (p). Cum Angeli circa eandem horam ad tentorium Abrahami divertissent, vir ille pius hospites ad prandium invitavit dicens, quod ad se diverterent eo temporis articulo, nisi ad cibum capiendum, nihil esse (q). In Evangelio (r), disertè prandium & cœna distinguuntur; quo sanè argumento intelligimus binas iustas refectioes singulis diebus à priscis servatas, è quibus meridianâ esurialibus diebus subductâ, altera tantum vespertina retinebatur. Meridiana refectio jentaculi potius loco, quam iustæ refectiois erat, manente hodie usque apud Turcas more (Tavernier historia Septi Magni Turcæ c. 3.) ut dapes carniæ & orizæ pulmentum non nisi post quintam horam vespertinam mensæ apponantur. Matutinam igitur convivium

apud viros splendidissimos instruitur herbis, leguminibus, fructibus, bellariis: vulgares in eum usum parata habent olera, cucumeres, pepones. Ex Rabbiorum doctrinâ, die Sabbati & magnæ alicujus festivitatis cibum capere ante meridiem nefas; cavendum insuper fuerat, ne antea corpus cibo curaretur, quam cæremoniis Templi peractis. Hunc morem spectasse, credunt Apostolum Petrum Interpretes quidam, cum de ingurgitato vino accusatus dixit, nihil esse curæ ejus criminis notam subiret, nondum subeunte horâ diei sextâ, neque ejus diei, quæ festa esset, officio Templi absoluto (s). Ad eundem etiam scopum collimasse volunt aliqui Pharisæorum querelas, de vellitatis die Sabbati spicis triticis Apostolos accusantium; quasi scilicet religionem diei festi, horam cibi prævertentes, violassent. Sed nullum apparet in Scriptura vestigium de constituta hora capiendi cibi diebus festis servandâ.

Solebant, antequam mensæ accumberent, hospitem pedes lavari: nullus erat enim tibialium tunc temporis usus, sed nudis cruribus atque sandalis tantum protectis pedibus incedebant. In solemnibus conviviiis fœminæ seorsum à viris discumbebant; in nuptiis tamen, & conviviiis inter cognatos nunquam excludebantur. Mappularum usus in mensis Hebræorum, quemadmodum & Græcorum ac Romanorum, nullus. Spongiæ ad detergendas mensas legas apud Homerum.

Locus inter plurimos convivias honoratissimus in capite tabulæ ad parietem, & in imo aulae. Hunc Samuel assignavit Sauli, antequam in Regem Israelis virum inungeret (u); nec alterum ipse Saul post obtentum Regnum inter domesticos discumbens tenebat (x). Olim mensæ assidere, conviva solebant, quod sub Salomone obtinuisse scimus (y). Apud Amos 6. 4. 7. Tobiam 2. 4. & Ezechielem (z) sermo est de lectis convivalibus; sed rarus illorum usus, cum apud Authores ejus ætatis, sive etiam recentiores servatam assidendi consuetudinem noverimus. Familiarior lectorum usus in Evangelio apparet. Jesu Christi conviviali lectulo accumbentis pedes Magdalena pretioso quodam unguento perfudit (a). Accubuisse etiam oportuit Christum in cœna ante Passionem, Joannes enim simul & infra accumbens, caput suum in ejus pectus reclinavit (b). Magnificis instratis lectis accumbebant conviva ab Assuero invitati, quemadmodum & lectuli aderant in convivio eidem Assuero unâ cum Amano ab Esther præparato (c). Sed hæc Persarum exempla sunt, quamvis alioqui aptissima ut moris vetustatem apud Orientales demonstrent.

De Rege quodam convivii sermo est Eccl. 32. &c. constituto nempe ut convivii rationem omnem haberet, legeque præscriberet convivales. Sed hæc Græcorum moribus familiaria, ne unum quidem habent apud Judæos exemplum. Itâ vero Scriptor ad Ægyptiorum mores alludens: *Refectorem (Græcus refectorem convivii) te possuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus*

Vide Hammond. ad Matth. 12. 8.
Locus honoratissimus.
u 1. Reg. 9. 22.
x 1. Reg. 20. 25.
y Prov. 23. 1. z Ezech. 23. 41. Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te.
a Matth. 26. 7.
b Jo. 13. 25.
c Esth. 1. 6. & 7. 8.